



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Germaniæ Superioris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69709)

ditum: frustra cum eo sæpissime egerant, veritatem vt agnosceret, idem oprabant & vrgebant viri primarij ac nobiles, quibus erat admodum familiaris; placuit tandem creatori Deo, hominem ad se trahere. Nam pridie cineralium quo die insani plerique baccho litant, venit ad nos, publice hæresim execratus est, deinde vbi se preparasset, pænitiæ & Eucharistiæ Sacramentū rite obiuit. Vnde nescias plus ne ex eius conversione Catholici omnes Viuarienses voluptatis hæserint, an hæretici doloris. Credibile est preces B. P. Iacobi Salesij plurimū illi profuisse, nā illi fuerat aliquando familiaris, & se primo Februarij die Catholicam amplexus est, pro qua ille eodem die cum socio, gloriosum in ea vrbe martyrium obtinuit. Speramus tanto cum in retinenda colendaque fide constantiorem futurum, quanto fuit lentior ad eam amplectendam.

M V L T V M fuit laborandum nostris, vt Catholicis, qui in domibus hæreticis decumbebant, Sacramenta admini trarentur, & vt qui Catholicè vita migrabant, in cæmeterium Catholicorum esserrentur.



P R O V I N C I A
G E R M A N I Æ S V P E -
R I O R I S.

F V E R E hoc anno in ista Prouincia numerati Socij decem & octo supra quadringentos, in quatuordecim sedes distributi; puta Dominum Profel-

Professam vnam, Collegia vndecim, & duas Residentias, præter totidem Missiones, vnamque Domum Probationis. E Socijs porro Sacerdotes fuerunt centum nonaginta tres; Præceptores viginti septem; Scholares septem & quadraginta; Coadiutores temporales nonaginta sex; Nouitij triginta quinque. In Collegio Ingolstadiensi censi sunt propemodum octoginta; in Dilingano fere triceni; in Monacensi quinquaginta quinque; in Angustano supra triginta; in Lucernensi duodeuiginti; in Friburgensi septemdecim; in Oenipontano viginti; in Halensi quindecim; in Ratisponensi viginti; in Bruntrutano septemdecim; in Constantiensi vndeuginti; in Domo Professa Oetingana nouem; in Domo Probationis Landspergeni supra quadraginta; in Residentia Biburgensi quinque; in Eberspergeni duodeuiginti; in Missione in Siluam Bauaricam duo; totidem in Brunoniensi. Admissi in Societatem vndeuginti; emissi in cælum quatuor.

COLLEGIUM INGOLSTIADENSE.

PRÆTER eos, quibus familiare est dierum mensiumue malè acta identidè expiare, numerati sunt ducenti circiter, qui vitam omnem eiusue maximam partem iterata confessione lustrarunt, noxasque animi vniuersas deterserunt. Id quod eo præsertim tempore videre erat, quo summus Pontifex pronuper orbi Christiano annum Iubilæum extra ordinem concesserat. Enimuerò ut populus tam profusam liberalitatem pro eo, ac par erat, æstimaret, auidius

Qq 2 que

que diriperet, impense à nostris est laboratum. Idem in re haud absimili etiam tunc industrie factitarunt nostri; cum Antistes noster Eichstertensis ieiunia hebdomadatim singula, iam tum à Julio ad vsque Nouembrem promulgaret, populoque confessione ob restinguenda belli incendia, quibus ardere omnia nunciabantur, indiceret; quæ laborum moles, quia in nos magnam partem incubuit, operam dedere Patres, ne cuiusquam desiderio subduxisse viderentur. Ex hæresi asserti, cum Ecclesia in gratiam concessere tres & viginti. Decerioris notæ ac fidei malæ libri compluribus adepti, & igne lustrati. Ad ægros diu noctuque frequenter itum, partimque eos pijs prælectionibus excitare, aut alloquio fouere, partim pro lectulo excubare, & ad supremum conflictum arma consiliaque suppeditare, partim leuandæ eorum inopiæ stipem corrogare, aliqui de nostris summa cum alacritate, & gratissima ciuium admiratione fruerunt. Crebra excursione itum est in pagos suburbanos, atque oppidula, cum reliquo tempore vero maximè per sanctiores anni menses, quibus Christum vel nascentem, vel ab inferis existentem præstolamur.

MARIANVM sodalitiū omnino triplex est. Religiosorum vnum, è quo meditationibus sacris tres exerciti, progressum fecerunt: Duo reliqua maiorum, minorumque nomina sortiuntur. Florent ea in primis numero lectissimorum adolescentum, in quibus multis videre est æmulam clarissimæ nobilitatis virtutem. His præfuerunt ambobus eodem tempore duo illustri sanguine Comitibus de Lodreno, fratres germani, quibus ad natalium splendorem accessit ingenij, morumque

spectatissima indoles, quiq; exemplo imperare,
 quàm dicto, potius habuere. Horū alterū Domi-
 nus Frāciscus excepit, Illustrissimus adolescēulus,
 Principe Ferdinando, Serenissimi Gulielmi Baua-
 uariæ Ducis, fratre germano natus, quem (viti
 parū, nihilque dicam) Musas inter atque virtu-
 tem pede æquo incedere, & primam ab vtrisque
 palmam mereri omnes iure existimarint. Gymna-
 sium numerat adolescentes circiter quingentos,
 magnam partam moribus, ingenijs, sanguine con-
 spicuos. Sed eminet fermè Ignatiani Collegij in-
 doles, iuuenum non minus centum, ad quos solos
 ex nupeta distributione præmiorum peruenerunt
 nouena; penes eosdem prima est nobilitas, quod
 ibi degunt Barones aliquot, & Comites & Princi-
 pe familia plures. Mira inter omnes concordia,
 amorque in nostros, qui hactenus quini ibidem
 præfuerunt. Præter vnum malè habuit nemo. Is
 fuit Carolus Comes à Suls, omnibus ob innocen-
 tiam egregiè carus. Hunc lethalis vomica ex oc-
 culto infederat, egeratque in extremum adeo pe-
 riculum. Conclamatus iam à Senatu medico, ius-
 susque potentiore ab arte salutem petere, S. Ben-
 noni deuouetur. Die, quem virgo Annuntiata Sa-
 crum habet, quiq; illi ominosus & ferialis fere
 credebatur, supplicatum est ad Diuæ aras à mul-
 tis, & in pauperes aliquid stipis decretum. Eni-
 murò illo ipso die desperata redijt salus, &
 valerudo post paulò insequuta cum S. Bennoni
 incolumem, gratumque stitit, Patris nostri ductu.
 Calicem inauratum dono accepimus, aureis quin-
 quaginta æstimatum, sanctū item caput de Socie-
 tate S. Ursulæ à Serenissimo Gulielmo nobis mis-
 sum, & auro gemmisque inclusum.

RESIDENTIA BIBURGENSIS.

CONCIONES circumcirca apud varios creberrimæ institutæ, confessiones solito etiam plures auditæ, ac generales quidem plus sexaginta. Et ne singula persequar, ex vno de ceteris iudicium esto. Sub Iubilæum nuperum vno in oppido vnus sexcentas excepit. De excursionibus crebris dicere operæ pretium non putavi: nisi quod similia annis superioribus sæpe perscripta, hodie anno vel pari, vel maiori prouentu debeant continuata existimari. In potioribus tamen hæc pauca numeramus: Ab hæreseos peste seruari duos sacris exercitationibus institutus Sacerdos vnus, quem de inferis serid cogitantē, & diuersos membrorū omnium cruciatus æstimantem cum nescio quid percelleret, illaque ei supplicia eleuaret, cepit tantus confestim, per vtrumque pedem grassari dolor, vt euocatus mouere inde sese, aut omnino in pedibus consistere nō posset. Profuit eiusmodi experimentum, quando illum iterata hæcenus confessio per menses quosuis, & vitæ morumque probitas commendat.

PAROCIVS quidam in vicinia grauiter affectus, nostrum ad se euocarat; & præseni intelligere se ait, quam pertinaci cum morbo sibi negotium sit, velle quoinde de summa rei consilium capere; & testibus iam alijsque pro instituto necessarijs adesse iussis, manu publica & iurata, in tabulas hæc referri iubet: Societatis merita in se ad eum diem præclara fuisse, eorumque memoriam debent

debere apud se æternam haberi. Cui rei ut fidem faciat, scribere se Societatem in Collegio Ingolstadtensi ex asse hæredem: idque se rarum æternumque velle, siue ex morbo iam conualefcat, siue humanitus sibi quid accidat. Dimissis testibus in genua admodum æger procumbit, magna lacrymarum vi effusa de vita omni confitetur. Surgere subinde à Patre iussus, nolle se aiebat, quod equi sibi videretur, ut qui Deo toties iniuriam irrogarit, sibi etiam aliquam molestiam afferre insuesceret. Porro quanti facerent quique Societatem, ex eo quoque voluit Sacerdos alius ostendere, quod de sua plebecula apud nostrum conquestus, mirum non videri diceret, id genus homines corrigi ægrè posse, quando nomen nostrum à confessionibus vnquam habuissent. Fuit alicubi rusticanis nihil potius, quàm ut epulo Eucharistico pasti, vino sese plusculum, potuque liberatiore inuitarent. Eam consuetudinem vna concione ita enervauit Pater, uti tabernam vinariam id loci ac temporis numquam magis viluisse crederent.

COLLEGIUM DILINGANVM.

VIRA excessere duo P. Vvolfgangus Starek Tyrolensis post exactos in Religione annos viginti septem, factus trium votorum solemnium professus, litteris humanioribus apprimè tinctus, quibus docendis totum fermè tempus, magna sui nominis apud discipulos fama, & fructu insumpsit. Vetus & Ciceronianum scribendi genus impense coluit, in eoque excelluit, dictionem nu-

Q 9 4 per

per natam illam dissolutam minimè ferens. Contra quam etiam iudicium suum graue, & eruditum in scriptis reliquit. Alter fuit P. Georgius Salhus, ex Rhetia superiore oriundus, Coadiutor spiritualis, vixit in Societate annos amplius triginta; bonus Religiosus, instituti nostri, & Superiorum valde amans & obseruans, liber in reprehendis vitijs, sui contemptor, sacrae meditationi impeditus, ex qua quotidie aliquid conceptum, per plurimos annos in librum rerulit. Docenda iuuentuti, populoque Catechesi plurimum studuit & profuit, ediditque in horum promotionem multa, quæ sitis singulari diligentia patronis, qui huiusmodi libellos & imagines pauperibus dispensanda curarent.

OPERA nostrorum non vno modo salutis proximorum impensa est: Complures à prima ætate sua repetierunt & detexerunt peccata (præsertim Iubilæi tempore) tutius suæ salutis & conscientia consulturi, cuius ante siue negligentes, siue minus curiosi fuerunt. Hæresi per nostros domi forsque absoluti sexaginta tres, aditi in carcere detentæ, & Xenodochiorum incolæ, leprosi non rari, iidem in confessionibus auditi, leuamina & solamina acceperunt; nec ægris & morituris nostrorum præsentia & auxilia defuerunt, quamuis de nocte euocata. Floret Academia morum disciplina, virtutum incrementis, & numero discipulorum actiore. Et quidem hoc tempore triginta supra septingentos, ex illis Monachi centum & tres numerantur, Barones nouem, Canonici plures, Alumni variorum Mæcanatum sacris destinandi ordinibus, in vno conuictu quadragenæ quaterni, Nobiles, duode sexaginta. Fructus conuictorum emittunt

in confessionibus, cōmunionibus octauo quoque die à potiore parte iteratis, precibus longius protractis, expansis quotidie brachijs, prostrato humi corpore, fixis terræ osculis palam, sacris, præter ordinariū, pluribus domi forisque auditis, vt Pannoniæ & Ecclesiæ mala auerteret, crebris flagellationibus, nouis & hoc primū anno institutis, cōuentibus & colloquijs, quibus se ad omnē pietatē, & vitæ statum informant, & olim alios; quæ Domini Aduentu & Quadragesima, quot hebdomadis bis habuere, Religiosos æmulati, vt si non pares, saltē non longo interuallo abessent. Per eos incensā aliorum pietas, pia loca obita, peregrinationes factæ, vitia repressa & correctæ, rudes rerum cœlestium edocti, consuetudines prauæ, suspicionesque inanes improbatæ & sublata, à multis noctes integræ, vel eorum pars magna insumptæ supra asseres, vel ligna lecto transuersa, pijs de Passione Domini meditationibus toto Quadragesimæ tempore cōtinuatis, & extra illud sepe repetitis, supposito capiti, pro puluinare, asserere. Vt potum Christi patientis melius meditarētur, alij fel merum sumpserunt, alij aceto permixtum, ab alijs ferocius flagellis in corpus scruitum.

EXCURSUM à nostris ad solita loca, duobus etiam plura, factæ inde ad Nobiles digressiones eorum rogatu. Nostrorum labor fuit in confessionibus excipiendis, cōcionibus crebrisque catechesibus habendis, sæpe ternis, aliquando quaternis quauis hebdomade Quadragesimæ. Optatus doctrinæ fructus enituit præcipuè Iubilæi tempore, quo omnes fere Canonici, præter populum nostris sunt confessi. De Principis in nos amore, pietate, & eius aulæ disciplina, plus in laudes dici potest,

potest, quàm breuitati conueniat. Aulam, Religio-
 forum dices domum. Inde euocati ad duo cir-
 citer milliaria, nobilium coniugum de tota vita,
 eorumque familiæ confessiones audita. In Virgi-
 num nobilium Collegio semen discordiæ extirpa-
 tum, sacra animorum expiatione, & habitis con-
 cionibus. Nunc desiderium nostrorum euocatio-
 nibus & inuitationibus testantur. Absoluti etiam
 à peccatis, qui ex locis longe distitis idcirco adue-
 nerant, molestiam itineris nequaquam pertæsi. Ex
 ijs nobilis, iam octogesimum annum egressus, cum
 tota familia. Alteri eadem ætate extrema octo-
 genario, & eius coniugi, quorum ante conuersio
 sæpe à multis tentata incassum fuit, hoc tandè an-
 no eiurata hæresi, Deus sui, & veræ fidei cog-
 nitionem contulit.

• I N Cænobium quoddam datis exercitijs spi-
 ritualibus, & Priore quoque, & constituto cer-
 to Confessario, quo nostris absentibus vterentur,
 in paucis quoque Abbate aliter informato, iucun-
 dior & pacatior disciplina introducta est. Rogati
 item Nobilis viri, ad rusticorum ipsi subiectorum
 confessiones excipiendas itum est. Noster perter-
 ritos aspectu Iesuitæ, & fama alienatos, prius ad-
 ducere non potuit, quam exhortatione amica per-
 mulso & cicuratos; qui adeo ignari erant, vt præ-
 ter confessionem generalem, quam à pueris di-
 dicerant, recitarent nihil. Plerique etiam, seniores
 præcipuè, sub vtraque specie communicare se cre-
 dentes, docti sunt à nostro Sacerdote ritum Eccle-
 siæ rectè confitendi & communicandi. Quidam
 lubricitate gelu, vna cum equo sub noctem pro-
 lapsus; cum parùm abesset quin obtereretur, ope
 B. P. N. Ignatij, & Angeli custodis, quos vt præsto
 essent

essent in clamauerat, incolumis euasit. Factum est
 sacrum in honorem S. Bennonis pro eo, qui fre-
 quenti & nimio dentium dolore iam dudum exer-
 cebatur, nunc eo liber non cessat agnoscere bene-
 ficium & prædicare. Pro agro item sacra hostia
 oblata, indictæque D. Virginis Sodalibus preces
 pro imminutione saltem dolorum, qui proximus
 morti licet, & à pluribus medicis accersitis vna
 sententia desperatus, rupto derepente ignorato
 apostemate, & sanie per os egesta plurima, conua-
 luit. Alius cum nulla medicorum arte continua fe-
 bri liberari posset, reliquijs B. P. Ignatij de collo
 suspensis, intra paucos dies sanatus est. Fuit morbo
 alius apoplexiæ ita percussus, vt & os sædè defor-
 maret, & oculum alterum in frontem propè sus-
 penderet, neque illū amplius claudere potis esset:
 reliquijs itē B. Patris adhibitis, eo ipso die os, ocul-
 usque ad locū vsūque rediere suum, & adoles-
 cens de quo tamen medicus spem abiecerat, sibi
 restitutus est. Virginis castitas precio & minis sæ-
 pius frustra impugnata, constanter defensa est.
 Donata lampas argentea, quinquaginta ducatis
 æstimata.

COLLEGIUM
 MONACENSE.

VNVS, ne patientiæ in morbis exemplum
 deesset, aliunde ad nos æger veniens è, nostro
 in Beatorum Collegium certa omnium spe demi-
 grauit. Fuit is Ioannes Christianus è Societatis no-
 stræ Scholasticis, patriam habuit prope Montem
 Sanctum in Bauaria, annos viginti sex cum vita
 exue-

exueretur, ex quibus fenos ferè apud Societate in docenda iuuentute absumpsit, inuenis còpositis, placidisque moribus, ob naturæ facilitatem, vitæque modestiam, omnibus æque charus ac gratus. In eius pedè cum se terri humores ex paruo quodam principio exonerarent, & nihil neque thermis, neque alijs curationibus proficeretur, quinquemestres dolores eosque grauissimos constantissimè tulit. Cum vreretur secareturque in pede sæpius, adeo non immodicè doluit, vt non nisi semel leuior gemitus auditus sit. Imo aliquando post vstionem caput puluinari, quo fuerat obuolutum, exerens, suauissimè ex præsentibus, num confectum esset negotium, sciscitatus est. Veram priscamque fidè, nostrorum opera atque institutione, susceperunt quinque supra quinquaginta, inter quos cum primis numerandus est, primatis Turcici filius, ipsi Turcarum imperatori affinitate coniunctus; qui non pridem in principe D. Virginis templo publico ritu, solemnique, magna presentis multitudinis admiratione, salutari vnda ablutus est. Nobilis quoque fertilisque omnino fuit conuersio ad germanam fidem viri antiquissima familia orti quinquagenarij, atque apud hæreticos principes amplissimis officijs, rebusque in pace, in bello illustris. Coniugem quippe totamque reliquam domum ad eandè Religionem vna pertraxit: auditi vitæ vel vniuersæ, vel maioris peccata confitentes, sexcenti supra nonaginta tres, multi multis annis confessionem sacram in nullo vsu habuerant. Plurimi peregrè vota D. Bennonidicata solutum venientes, aut in somnis suos animos nostis vt aperirent moniti erant, aut iter huc ea re, vt abundè animis suis facerent satis, lætius sus-

susceperunt.

TAM importunæ inimicitæ erant, inter parentem & filiam generumque, vt maiori cauendo malo carcere illos desungi necessum fuerit. Laboratum est in coniungendis eorum animis à viris grauibus; laboratum ab ipso Magistratu; irritus omnis labor. Nostrorum tamen labore, mutua veniæ petitione, sacra confessione comunioneque ratam esse voluerunt. Nec solùm odijs, verum & auaritiæ occursum; iniqui contractus æquari; iniuste acquisita reddita ad florenos quinquies mille, quingentos, quinquagenos; multis erepti libri supersticiosi, turpes, atque aliter nozj; vnus bibliotheca lustrata. Quædam è grauis- simis sceleribus emersa, ad casum à communi mortalium hoste tam vehementer quàm diu impulsæ, cum nihil impulsum minuere quin augere notaret; moræ peritæsa, in cubiculum se abdens, dæmoni furibunda voce, se ad inferos raptandâ denouit, iuxtaque sua manu interitura cultrum è zona pendentemprehendit. Sed cum aliàs facilem nulla vi posset educere, ad se demùm rediens, manifesto Dei præsidio animaduerso, pœnitundine sceleris ducta, offensum Numen confessione facta placauit, & vsque huc in dimicando constantior fuit. Cuidam valetudo atrox, cum longior quam ferendo ipse esset, visa fuisset, eam vi finire statuit, cumque ab eo consilio maturis precibus monitisque amoueretur, missili cultro eam grauius vulnerauit, nostro posthæc, illum conuentum iterum seridè dehortanti à tanto facinore, id responsi dedit, se quietem nullâ nisi sua cæde capere posse, idque confirmare sibi dæmonem per cubiculum turbidè circumcurstantem, varia animantium

tium

rium specie, ac subinde lecto infidentem. Verum succursum est misero, iniecta enim in collum cerea imaguncula, animo confessione expiato, sanctaq; Eucharistia firmato, quietus à tetrís incurfibus, in grauissimis doloribus perferendis fortis fuit. Ancillula durius in seruitiò habita, in tantum marorem animum demisit, vt se ab illo cæde sua expedire decreuerit. Eam ad rem venenum aliquò, vbi alia occulta habebat, abdidit sumptura: deinde cū in eo loco omnia cetera reperisset; venenum potuit numquam: aliàs eadem, huic quoque fini, araneum glutituit illæta: tandem Seruatorem suum Deum agnoscens, criminis pænitudinem suscepit, in virtute se nunc exercet diligenter, & Sacramentorum vsum colit frequentem. Pauperum verò miseriam relquandæ; quod vltimum supra caput fuit, nostra profecto opera non defuit. Orphanotrophium à nonnullis restauratū, cœperat rursus in neglectu esse; nunc nostrorum diligentia orphani & magnum in pietate, ad quam informantur, progressum, & stipem quoque sentiunt largiorem: vno enim, alteroque Dialogo de Eleemolynæ utilitate dato, multorum opulentiorum præsentium animi, ad opem ferendam commoti fuerunt. Domus aliquanto horum educationi amplior, commodiorque inquisita, est reperta; æquo pretio oblato, huic vsui à Domino, nisi nostris deprecatoribus, impetrari non potuit. Domui Gregoriana, in qua honesti iuuenes fortuna iniqua vli literis operam dant, hoc anno legati donatique sunt floreni bis mille septingenti nonaginta. Matronæ nonnullæ genere nobiles, opibus valentes, quater ac sæpius anno pauperibus liberale dant epulum ipsæ præministrantes; quibus clarum exempli

exempli facem præluxerunt, in hoc genere assidua, ac ferè tota, Serenissimæ Principes Elizabetha Maximiliani coniunx, & Maximiliana amita. Quod res Gymnasij nostri, atque cætus Parthenij vtriusque attinet, pauca signabo, communibus enim, quod sæpius audita, relictis, aliqua singularia persequar. Quod caput est, è discipulis octo Atheticis domi nostræ se exercuerunt, terni Religioni Minorum, Capucinorum bini, totidemque nostræ nomina dederunt. Itum est diebus solennibus ieiunij in Dachau oppidum non ignobile, & arce Principis adiacente insigne, optato omnis ætatis fructu. Cum enim res hæc eo loci noua esset, rumorque rem vulgasset, tanta multitudo etiam ex omnibus, quæ circum erant locis, confluxit, vt recipi sacra æde non potuerit. Fructum factum hæc indicant; dicente nostro, silentium in tanta turba erat insuetum, ac passim abeuntium hæc audiebantur voces. Vtinam pridem hæc nobis cælo decidisset occasio. Vtinam ante hæc audiuissetus, alij fuissetus. Paruæ ætati tam salutare fuerunt catecheses, vt ipsi parentes publicè fassi sint, se vel breui hoc tempore aliam, meliorem scilicet, obsequentioremque prolem experiri. Augusto insuper mense in oppidum Delz duo è nostris Patribus à Præfecto euocati profecti eunt, vt qua concionibus sacris, qua expiationibus populum ad sacri tubilæi condonationes impetrandas ritè præpararent. Cessit benè incolis labor octiduo, quo nostri ibi egerunt.

RESI-

RESIDENTIA EBERSPERGENSIS.

AD vota varia, à varijs in suis necessitatibus facta, quod attinet, ea benè multa fuere, è quibus omnia ferè optatū & miraculosum habuerunt euentum. Enumerabo ex multis vnum. Incidit mulier quædam in puteum centum quadraginta quatuor pedes profundum. Cui inter cadendum in mentem venit, si se saluam velit voueat ad montem Sanctum & Eberspergam peregrinationem. Fecit, & conseruata est, venitque huc, votumque præuia confessione persoluit. Pestibus etiam (cum iure parochiali Collegio Monacensi sit incorporatum) duo Patres aliquando missi sunt, qui suam illi populo spiritualem operam locarent, id quod insigni cum fructu prestiterunt. In primis enim dissidium aliquod inter illius loci primarios natum, & indies multorum cum scandalo crescens, sublatum, magno quidem labore, sublatum tamen. Flecti non poterat altera pars, donec omnibus ferè tentatis, in genua nolter Pater procumbēs per viscera Christi rogaret, suæ salutis haberet rationem, & ignosceret. Templum vix magis ornaretur, apud Senatum, & Curatos Ecclesiæ effectum. In natali Christi euocatus Pater vnus Erdingam, oppidum vicinum, vt ibi rem Christianam promoueret, ita homines permouit, vt quadringentos ad Sacramentum penitentia perduxerit. Doctrina Christiana tradita magno senum ac iuuenum accursu, & emolumento. Aiblingæ bonus & zelosus parochus iterū à nobis
auxilium

auxilium petiuit. Missus pater vnus, qui benè cœpta promoueret. Gratus eius aduentus, gratæ conciones, gratus agendi modus. Confessiones ab illo exceptæ paucis diebus supra mille. Aditi quoque captiui. In quibus vnus malè ad moriendum dispositus, quippe qui magistratui ignoscere noller, eo adductus est, vt etiam eidem gratias ageret ingentes.

COLLEGIUM AVGVSTANVM.

AB hæresi traducti sexaginta. Sæpe secundum concionem Pater ab Opificibus salutatur, & de prolatis ex Luthero sententijs rogatur, quando multi sæpe tam portentosa à Luthero, vel scripta vel cogitata sibi persuaderi ægrè patiuntur, donec in rem presentem veniant, ipsosque codices coram inspiciunt. Quadragenarum horarum precatio, nouo exemplo in æde nostra, maxima cum pietatis cerimonia Sodalitatis nomine est celebrata. Concionator noster, cum serius pro concione queretur, Diuum ferias sacratiores magnæ Dei matris natæ, vel in cælum euocatæ, D. Laurentij, Sanctorum omnium, & id genus alias negligi, publicè opus ab operis fieri, viam sterni, materiam conuehi, ædificari, in Senatum coiri: Eius verbis primarij nonnihil preculsi, signa animi non beneuolentissimi præ se tulere; postea verò publico decreto sanxere, vt ijs diebus ab opere penitus cessaretur.

ABSTVLIT mors optimam honestissimamque matronam, quæ viro septem reliquit heredes,
R r mares

mares geminos, quinas puellas, quas omnes maritus, & ingenio suo pte ferox, & perfida sectæ contumacissimus propugnator, statim ab elato funere vxoris, cuius de more Catholicam filix religionem sequebantur, contra datam fidē, domo clausas hæresi destinauit. Sed filix postridie occasionem euadendi noctæ, eruperunt, & ad Illuminati viri pietatē profugere, qui cliētes vna cū ancilla in tutelam exceptas, liberalissime aluit atque hodie & tecto defendit. Eadem matrona adhuc incolumis cum vterum ferret, sæpè immaturos effundebat fœtus, quod anxia de prole vereretur, a Patris imperio à ministris Lutheri tingerentur, summum enim cum viro filiarum causa certamen susceperat. At vbi hoc ab inuito extorsit, vti liceret ritu Romano liberos lustralibus vnda ablutos consecrare, facili nixu saluum in lucē partum edidit. Femina venit non ante multos dies, quæ à Sacerdote nostro peteret piaculare sacrum, ad iuuandos defuncti cuiusdam manes, à quibus aliquamdiu nocturnis terroribus exagitata, infomes noctes pauoris plena trahebat. Consulit illa viro Religioso, vagam vmbra causa est alloqui. Cùm enim proxima nocte, precationibus operam daret, & ad decimā vsque reditū spiritus sollicitus prestolaretur, ea ipsa hora funebris species aperit capite vt nosceretur, ianuam referat, & fœminam proximè adstat. Munita illa signo salutari, quærit quid adsit? Eiulatum tristis forma tollit, & peccata non ritè per confessionem explicata, & deleta affirmat (nuper enim ad ritus nostros accesserat) & ter salutarem offerri hostiam pro se in sacrificio precatur; pollicetur illa; vanescit funus, litatur, & post tridū se expiatum spiritus lætior adfirmant.

PUBLICÆ intra & extra vrbis pomerium supplicationes celebratæ, suum solempne custodierunt. Hoc singulare fuit, in illa sanctissimo corpori Domini sacra, triumphus Christi in Emblemate lógifimo ædiũ nostrarũ, quousque porriguntur, parietes conuestijt, & ciuitatis totius oculos in se cõuertit. Petiuerunt illum postea Antistites ciuitatis, & mirati sunt ipsi aduersarij, descripserũt multi Nobiles versus, quos Poeta noster appinxerat, quibus tacitam picturam loquentem fecit. Chorus Angelorum cum gestu & suauis harmonia, apud omnes aras veneratus est Numinis augustissiam præsentiam. Nec in peregrinatione ad cineres Diuorum Andecensium aliquid mutauit, in qua Patres concionati, Sodales ad rem diuinam festo concentu accinuerunt. Cópia hominũ vñdiquaque confluentium vix potuit æstimari, totum enim Montem & campum, velut castra Xerxis, populi strauere. Cælum etiam misicè adspirauit. Venio ad Gymnasium, quod vltimo hoc mense recensuit octoginta supra trecentos, cum præteritis annis ægrè ad trecentos ascenderimus. Principes in his quaterni, tres Raziuilij, qui iam alterum annum adsunt, & audiunt post politiores literaturam, philosophum in nostra domo priuatim. Quartus mense Nouembri accessit Illustrissimus Marchio Ioannes Myscovvicius, à Mirohu Gonzaga, Sigifmundi Mareschalci Regni Poloniae filius, Comes vnus, Fuggeri quatuor, Palui duo, Canonici ex generosa stirpe duo, vniuersè decem. Nobiles vnus supra quadraginta Parthenium sodalitiũ illustrarunt, tres Illustrissimi Raziuilij, qui nomina eidem tyrociniũ, cum quatuor Baronibus dedere.

SVPPPLICATIONES publicas & solennes
 suscepit hoc anno Sodalitas tres; alteram ex more
 ad D.D. Andecenses, vbi Sodalitati commissa est
 symphonia. Alteram in triumpho Corporis Chri-
 sti. Et hæc iam ordinariæ fuere. Noua ad noctem
 Parasceues. Res in hunc modum instituta est. An-
 te triennium vir illustris, suam cohortem primis
 in aciem, non sagatâ quidem, sed saccatam edu-
 xit, cui signa Christi patientis non pauca in mo-
 statuarum præferri, certis spatijs imperavit. Noluit
 manipulus ad eam pompam inuitatus hoc anno
 accessit, qui liberalitate multorum adiutus, sag-
 numeravit septuaginta, trabales cruces, quæ ad
 Christi exemplum humeris gestarentur, vicena
 fenas. Faces ipsi nostri auditores plures centum
 curarunt & gestarunt. Ita pro facultate nostra Pa-
 rasceues ad noctem sacram expediti, hoc ordine
 publicum processimus. Primi omnium ex Ruffatis
 socijs Corporis Christi gestarunt argumentum
 Christi in monte olearû sanguinẽ sudantis, trullis
 igneis à fronte & tergo quaternis comitantibus,
 noctemque pellentibus, quibus effigies adspecta-
 bilis lamentabilem speciem obijciebat. Imaginem
 chorus quaternorum puerorum triste Epicedium
 Christo silentium præcedebat. Successit altera ste-
 tua Christi, ad columnam ligati, & à valentibus
 hinc inde militibus cæsi, quam rursus symphonia
 mesta comitabatur. Hanc insequuti aliquot ex
 puniçantibus se tam acriter verberabant, vt mul-
 tus è tergo sanguis sequeretur. Tertia Icon ad eun-
 dem modû erat formata, quæ Christum à militum
 crudelitate per ludibrium coronatum exprime-
 bat. Quarta Pilatum referebat, qui Christum, po-
 pulo spectandum proposuit. Quinta non figura-
 ram

ram, sed viuam Christi crucem gestantis agebat personam, quam cum cohorte Centurio Eques prosequeretur, Virgine & Ioanne vestigia Christi legentibus. Hic finis rursatæ supplicationis, cuius mox vestigijs atrata nostra Sodalitas, cum cruce à quatuor sublimata inhæsit, pro qua adolescentes quini cœlitum cultu ornati, lamentabile carmen cecinere. Crucem numerus certus, terga flagris aculeatis secantium, est iusecutus. Mox Virgo de cruce refixum in sinu fouebat exanimem filium, nentiam rursus Angelorum chorus lugubrem meditabatur. Alter hic ordo terga acerrime pulsantium.

TERTIA & vltima statux imago funus Domini repræsentabat, cui pari modo lessum sacrum plorauere Angeli quaterni. Quos postrema acies se ferientium premebat, qui adeo immaniter in se sauerunt vt ex Præsidis Sodalitatis præscripto, nondum medio Supplicationis spatio perfecto, corpora iam sanguine largissimo inundata fuerint regenda, ne vltro flagris progredierentur. Sequuta est vltima acies eorum, qui longa serua moles quadrifidas magno pondere & onere trahebant. Quibus D. Virginis signum prælatum, quod vtrinque cereis gemini Principes illustrarunt. Hos è vestigio secuti Præpositi, Barones, Canonici, Patricij, Nobiles, alijque supra sextum & vicesimum omnes atrati, & truncis arborum humeros onerati; nonnulli nudis vestigijs magnam populo pietatē mouerunt. Postremum agmen togata & linteata Musicorum harmonia claudebat. Supplicationem totam ciues, cum signo salutis maximo numero, sua quisque ciuili veste indutus finierunt. A Sancta Cruce vsque ad D. Ydalrici, & inde per curiam ad

stram ædem redierunt, vnde exierunt. Altum vbi-
que omnium silentium, mœsti etiam hæreticorum
multi, siue quod sensu aliquo pietatis tangeren-
tur, siue quod spectaculo non secus, ac inferorum
laruæ, terrentur. Nec satis fuit nostro militi vix
urbis sanguine purpurasse. Vltimo præterea die
maioris hebdomadis septenæ turmae adhuc in ce-
nam, & aream templi nostri ex Gymnasio descen-
derunt, ex eo potissimum numero, qui pridie ex-
clusi, vel choro accinebant, vel alia officia ob-
bant.

COLLEGIUM
LVCERNENSE.

MAGNA vbiq; populi pietas, eo potissi-
mum tempore, quo ex noui liberalitate Pæ-
tificis, plena omnium condonatione affici por-
rant omnes. Agrotantis insuper Parochi vices
bimestri spatio nobis fuerunt, eius rogatu, subeun-
dæ. Eius qui Catechesim in ciuitate habet audien-
tumque, vel inde discas industriam; quinquaginta
omnino libellum P. Canisij edidicere totum; ad-
iunctas ad illius calcem precatiunculas suæ non
nulli adiecere memoriæ. Cuius rei causam memi-
dixeris illâ, quod Germanicas scholas obierit per-
sæpe noster, & progressum cuiusque tentauerit.
Eorum qui apud nos diuino Christi corpore sunt
refecti, fuit decies octies mille septingentorum
octoginta sex numerus, maior futurus, nisi suis in
paracijs certo, Iubilæi nimirum, tempore id ac-
cepissent permulti beneficium. Alienas ab ortho-
doxa fide opiniones, ex animo expectorauerunt.

duo & viginti. Sodalitas Parthenia in tres diuisa est classes, è quibus discipulorum duæ sunt vsitatis distinctæ nominibus, sic tamen, vt Minorem à Maiore ætas fere tantum, vel doctrina distinguat, non autem virtutis studium; vtrisque enim & communia, & ferè paria sunt illa, corporis diuexationes seu cilicio, seu flagellorum adhibitione fieri credas; frequens Sacramentorum vsurpatio; frequentia in loco precationibus assignato; excursiones ad vicina vrbi templa, ijs etiam diebus, qui animorum relaxationi sunt consecrati.

COLLEGIUM FRIBVRGENSE.

CONCIONES habitæ foris in pagis tam Germanico, quam Gallico idiomate crebriores, quàm alijs annis: In vrbe verò totius anni decursa, tribus in locis verba ad populum semper frequentem sunt facta. Fructus hi fuere. Multi, quorum haud sanè firmæ mentes in fidei rebus vacillabant, atque sinistras de ijs, quin & noxias combiberant opiniones, incautius versati cum hæreticis, instructi & confirmati sunt. Ex animis quamplurimum euulsæ radicitus superstitiones, quæ altissimè defixæ erant, hærebantque tenacissimè. Libri prauorum morum magistri ablati, & pij subministrati. Non parùm item operæ ac laboris impensum ijs, quos carcer habebat. Inter eos iuuenis alienus à fide Catholica, ipso die quo sententia de eius capite ferenda erat, mutauit animum, quem obfirmatum in carcere adhuc pridie retinuerat. Sed factus sanior, Catholicum se velle mori dixit, pec-

Rr 4 cata

cataque omnia, salutari confessione eluit. Decubuit alius in graui morbo, nec fuit quisquam ferè qui ægrum cibo, aut alloquio solaretur. Teter enim odor, qui è corpore iacentis expirabatur, fugabat omnes. Nostri non solum aditu, verum etiã procurata & oblata eleemosyna, & ipsum & uocem ipsius solati sunt. Cum Ecclesia Catholica redire in gratiã quinque supra triginta. De Iubileo sanctissimi D. N. iussu, tum in alijs, tum his etiam in oris promulgato, dici hoc breuiter & verè potest, magnos esse animorum motus, ad vitam deticeps piè sancteque instituendam, factos.

V E N I O nunc ad Sodales Deiparæ Virginis, qui in duos quasi cœtus tributi sunt. In vno horum sunt ciues: alter minorum dicitur; crescit utique non solum numero frequentantium, sed etiã pietate virtutumque studio. Supplicatum iere ad suburbana templa frequenter, multis comitantibus ac deducentibus, qui Sodalium è numero non erant. Ipsi autè in tēplis habitę conciones non infructuosæ. Contigit aliquãdo, vt vrbis huius Praetor cū alio viro nobili eques vrbis inueheretur, eo ipso tempore, quo Sodales in sacello quodam extra urbem precabantur. Aduertens igitur ille subeuntem in aduersum clium, vnde ipse descendebat, multitudinem, viã causam rogat, eaque cognita relinquit ad portam equos, & vnã cum comite eundem locum pedes regreditur, concioni pariter, & precationi interest, mox etiam illo cum cœtu urbem ingreditur, admirante, & laudare factum populo. Sed laudem meretur hoc, quod nunc dicam, haud exiguam. Vnum in hospitium conduxerat seu via, seu fors bona hinc cinem Sodalium, inde virginem quandam. Huius pudicitia
pro-

procaces aliquot iuuenes, qui ibidē diuersabantur, iminebant. Facile id intellexit sodalis ille, quem dixi; ergō vt tutam eam præstaret, ratus ita Virginis Matris, quam colit impensissimè, vel amorem postulare, vel honorem, finxit sibi illam sororem esse. Cubitum deinde cum abiissent, lectum puellæ concessit, ipse humi precando noctem extraxit. Legatus Christianissimi Galliarum Regis, templi ædificio promouendo, sexcentos aureos obtulit.

COLLEGIVM OENIPONTANVM.

DIEM assumptę beatissimę Virginis Reuerendissimi, atque Illustrissimi Principis, Episcopi Brixienfis, non absque singulari sua & totius Congregationis consolatione, in Sodaliū numerū adscriptio, solemniorem reddidit. Absentis locum suppleuit R. P. Rector, qui illius nomine publicè à Præfecto petiuit. Mirum dictu, quam sibi in sua Aula sit gratulatus optimus Princeps, maiestate canicie maxime venerandus, adeo vt etiam coram alijs præ efferuescente mentis astu, internum animi feruorem tegere nequierit, sed prodiderit intus exultantem. Mittit eidem Congregatio, vt & Reuerendissimis D. D. Suffraganeo & Vicario (qui & ipsi magna voluntate Sodalitatis albo inscripti sunt) quot mensibus sanctos in scheda, qui in electione illis obtingunt. Ex hoc cœtu Parthenio varij varias Religiosorum familias sunt amplexi. E ciuibus Magister in Carthusianorum; è discipulis verò duo in Præmonstratensium; vnus denique Rhetorices studiosus in Societatis nostrę numerum

rum

rum est ascitus. Crebræ nudis genibus, brachijsque in crucem extensis ab ijs fusæ preces; in iisdem precibus corpora humi abiecta, dorsa flagellis dilacerata, ebullientes corporis impetus cilicijis ieiunijsque sedati, eleemosynis pauperum inopiam subuentum, ad vicina templa multi excursus fuerunt. Ab hæresi absoluti sunt minimùm octo. Libri hæretici sublati & exusti plurimi.

VIRGO quædam per puerum sibi schedam perscribi curauit, in qua (ipsa dictante) totam se Deo suaque omnia liberè sponteque deuouit. Vt verò & temporis aliquantum, & huius consecrationis memoria paululùm effluxit, ad illicitum turpemque actum allecta est. Cumque iam fere ad consensum res esset perducta, vidit (quæ mira Dei bonitas est) perbene vigil Dominum Deum presentem, & ab impurissima bestia abstrahentem, schedam denique cum nobilissimo annulo ostendentem vidit, & à peccato absterrita est. Multo exinde tempore intercedente, eadem ab honesto quodam viro in matrimonium etiam petita: mirari illa rei nouitatem, dubitare tamen & hætere, an posset & liceret viro coniungi: ignara ergò & dubia quo se inclinaret, ad Confessarium consilium imploratura confugit: putabat enim posse & licere nubere, nec iam ambo multum aberant à consensu mutuo. Vt ergo Pater de scheda, & alijs omnibus intellexit, & quo vinculo impeditur cognouit, illam monuit, vt non modo à matrimonio, sed omnibus etiam que virginitatis & castitatis voto contraria sint, se abstineret. Cum sceleratis etiam & facinorosis nobis res fuit: reus quidam viginti quatuor annorum capite plectendus, sic animum abiecerat, vt nisi misero succurrissent nostri

nostri, facile desperationi locum dedisset, tanti enim vitam faciebat, vt non bellum, aliaue pericula & labores detrectaret: imò nudis pedibus (vt erat in vinculis) omnē hyemis asperitatem se perpeffurum promisit, si liberaretur. Sed facinorum grauitas id impediuit. Supplicium tamen constanter subiit, quod ante cum ingenti horrore erat auersatus, & cunctis viribus deprecatus. In via autem ad supplicij locum, post preces, quæ ad imaginem Christi ad crucem in ponte Oeni effundi solent, Patrem à confessione obnixè rogauit, vt quodam confitendi modo se præteret, ne si quod adhuc peccatum lateret, memoriam fugeret, vt sic mundata probè conscientia abiret.

FAMILIA quædam tam opum amplitudine, quam muneribus publicis insignis, à multis annis populo de religionis integritate mouerat suspicionem: pluribus itaque congressibus per Dei auxilium effectum, vt quanto antea parum sincere nostræ religionis cultu viciniæ fuerat offendiculo, tanto publicè facta professione, & transactæ vitæ criminum confessione, fuerit exemplo. Et quia periculum erat in mora, quandoquidem vterque coniugum ob præcipitem ætatem vltimas fati lineas attigisse viderentur, noster velis remisque id negotium vrgebat, nec sua eum fefellit opinio; vix enim noster discesserat loco, cum coniugum alter discessit vita. Pars superstes beneficium agnouit, nostrosque habet à confessionibus. Tempore Iubilæi in Arzel itum, ibique incolis, qui milleni & duceni ferè numerantur, centum si excipias, omnibus confitentibus aures datæ. In nostro templo ex homoleges factæ de tota vitæ nonaginta quinque.

COL-

COLLEGIUM
HALENSE.

DECESSIT P. Iulianus Patrognotus Dolanus è Burgundia, annos natus plus septuaginta, è quibus quadraginta nouem in Societate exegerat, coadiutor spiritualis. Qui ab eo tempore, quo nostri Gallia pulsi exulabant, hoc loco artem suam extremam egit, & pietate iuxta ac contemptu sui, omnibus hisce ac totis annis misericordis præluxit. Anni exordio singulis auditoribus catechismi nomen IESV eleganter expressum, liberalitate Virginum, dono datū, exempla quingenta circiter & quinquaginta. Sacrae B.P. N. reliquiae, pragnanti cuidam feminae, & periclitanti in partus acutissimis doloribus, opem tulerunt. Schuazium semel iterumque vocati excurrimus ad afflictos ex conscientiae morbo solandos, ad vicinos pagos eadem de causa saepius. Ab Ecclesiasticis viris alijsque, saepissime in conscientiae dubijs casibus interpellati, sententiamque rogati sumus, quibus satisfactū, rectaque consilia subministrata. Inter nobiles ignobilesque familias non raro par, & animorum quies constituta, maxime vero inter dissidentes coniuges, imo & inter curionem quendam, illiusque subditos, quorum animi ab eo alienissimi videbantur. Ut ad Catholicorum castra, abiurata haeresi, redirent nonnulli, effectum, & perfectum. Quid de Sodalium asperitate vitae, & voluntaria corporis afflictione, qua animum frangunt, dicam? Ab alijs penitentiae carmina Dauidis, brachijs expansis decursa. Ab alijs pia, ac
longa

longæ commentationes de cruciatibus & morte Christi susceptæ. Quidam horæ spatium expansus precibus vacauit. Qualibet hebdomade ter ad nostrum templum prodire nonnulli, in se vt sæuissent, ac vltimis quidem diebus, omnium desiderio satis fieri non potuit, quia è ciuibus aliquot, & multi incolarum ciuitatis, sese nostris Sodalibus adiunxerunt. Donatus calix argenteus inauratus. In villa fons aquæ saliens erectus.

COLLEGIUM RATISPONENSE.

COMMUNICANTES hic fuerunt septem millia septingenti triginta quatuor. Plurimæ auditæ confessiones generales vel à tota vita, vel à multis annis. Ab hæresi sunt absoluti quadraginta tres, præter eos de quibus in excursione in Siluam Bauaricam. Multi confessionis gratia à remotis locis etiã hæreticorû ad nos ventitarunt, & cû consolatione gaudioque sunt remissi. Eleemosynæ egenis emendicatæ, aut ex Collegio datæ, cum interim aduersus hæreticorum insidias, quibus periclitabatur, firmarentur, maxime vero in nosodochio. Alijs etiam miseris, afflictis, imminutæ mentis, parturientibus subuentum, consilio, munusculis agnorum DEI, vsu lustralis aquæ. Horum è numero fuit, qui iam laqueum collo inseruerat, & altiori parte fluminis se immerferat: sed is ope ac misericordia Dei gemino periculo ereptus, salutem suam nostrorum charitati acceptam referre testatus est. Ad scholas venio. Hic, vt superioribus annis, probarunt se Sodales B. Virginis. Nam in
domando

domando genio cibi potusque appetitu, obscenitatis cogitationibus exturbandis mirifici, & quidam etiam nimij fuerunt, in sui victoriam salutemque ingeniosi. Quæ quia molestum esse arbitror singula recensere, ob cruentas etiam verberationes, prudens proptereo. Sodalitatis, cum eum, nescio qua ex causa, hernia occupasset, octavo die post de more, Sodalium suorum cœtum die Dominico adiit, & attendit ijs, quæ tum verba fiebant. Interim sentit dolorem augeri, mox oculos animumque ad B. Virginem in altari depictam conuertit, tacitumque votum nuncupat, se ad Virginem Oetingnam peregrinaturum etiã hyemis asperitate: cum ecce illico melius habere cœpit, & intestina se ad pristinum locum recepere. Aliquid tamen ex illo malo relictum fuit, committit ergo se via: venit Oetingam, vota persoluit, confitetur, communicat, restituitur sanitati. Hic postea Religiosis D. Benedicti adscriptus est.

E X C U R S I O I N S I L V A M B A V A R I C A M.

MENSE Martio hoc anno, in siluam Bavaricam excolendam sunt missi vnus è nostro Collegio, alter ex anno tertio. Hæc benè gesserunt. Vnus confessiones mille & sex audiuit, alter octingentas, ex quibus multæ fuerunt generales, vel melius institutæ. Frequentes habuerunt conciones & catechismos. Hæreticos sexdecim reconciliarunt Ecclesiæ. Imagines in domibus retinendæ & affigendæ, velut indices Catholicæ Religionis, passim distributæ. Vsus agnorum Dei, Rosariorum,

fariorum, aquæ benedictæ plurimis in locis est in-
uectus. Inimicitia & odia sublata; matutina & ves-
pertina oratio, flexis genibus facienda persuasa.
Nobilis quidam, qui sex annis à Sacramentis Eu-
charistiæ, Pœnitentiæque se abstinuerat, & hoc
nomine parum Catholicus audiebat, ad eorum
vsum est reductus.

IN eadem filua locus est cognomento à Sacro
Sanguine celebratus, quò ad Dominicam ante
Pentecostem, plurimi pietatis causa peregrinan-
tur. Eo missi fuere duo Patres, qui bidui spatio
trecentas & amplius confessiones exceperere, qua-
rum dimidia ferè pars erant generales. Exhorta-
tiones in istis angustijs bidui, sex vel septem ha-
bitæ.

COLLEGIUM BRUNTRVTANVM.

ANNVS iam & amplius est præterlapsus, cum
Socij nouum huius Collegij ædificium, &
sumptu & opere magnifico à Reuerèdissimo Epif-
copo Basiliensi exstructum, à fundamentis incolue-
runt. A primis pueritiæ annis peccata sua rele-
gerunt centum & triginta. Inter eos qui fidei Lu-
theranæ, & Calvinianæ opiniones deseruerunt,
(deseruerunt autem sedecim) cuiusdam matronæ
perhonestæ feruor eluxit; quæ vt in nostra religio-
ne esset in posterum firmior, spectante & audiente
populo, coram templi nostri summo altari hære-
sim eiurare voluit: quæ res finitimos Basiliensibus
non parum in fide confirmauit. Excursum etiam
ad oppidum quoddam, quod indigitant S. Hyp-
politum

politū in Burgundiæ comitatu. Aduentū nostrorū in primis eius loci Canonici, deinde vrbs vniuersa, vniuersè flagitarunt, ita tandem impetrarunt, vt duo è Patribus ea peragerent, quæ in missionibus solent fieri. Diebus igitur illis qui sacrum Pentecostes & sanctissimæ Trinitatis præcedunt, concionibus & doctrina Christiana animos, ad Ecclesiæ thesaurum ritè accipiendum, præpararunt. Vsuræ in multis sublata, prauæ peierandi consuetudines repressæ, & id genus alia vitia emendata. Parthenia Sodalitas flos Gymnasij appellari potest ab ijs virtutibus, quibus alijs facem præfert. Vt taceã ieiunia, preces statis tēporibus fusas, humilationes, aliasque corporis asperitates, quas nonnulli voluntariè in se suscipiunt; singulare illud in adolescente non tacendum, qui singulis diebus totius anni decursu, pilosam vestem tribus horis gestauit: Alius ter quatuor hebdomade. De Gymnasio hoc habeo dicere, illud & numero & nobilitate discipulorum auferescere indies. A quadragesimo prope illud abest; Comes vnus, Barones quinque, Nobiles fere septuaginta non paruum huius ornamentum addunt. Accessio facta est, petente & instante Reuerendissimo, duarum classium, quarum altera, Dialecticæ institutiones, altera vero pars iuris Canonici docetur.

C O L L E G I V M C O N S T A N T I E N S E.

NO STRI omnes bona vsi valetudine, si Patrem vnum excipias, qui longa ea que periculosa iactatus febri B. P. N. sacris lippianis è collo suspen-

suspensis confestim à febrilibus paroxismissis penitus liberatus fuit. Confitentium numerus, sicut & alia pietatis exercitia, in singulos annos Dei benignitate fit auctior. Catechismus à nobis hoc anno institutus, in suburbio ad D. Iudoei, vbi hactenus hæreticorum erat colluies, qui Catholico: ù nomen ita habebant exosum, vt nulli Ecclesiasticorum facillè transitus fuerit, sine aliquo scommate, aut etiam interdum grauiore iniuria: timebant initio nonnulli viri graues, atque adeo ipse vrbis administrator, ne noster Catechista eadem ferè experiretur; verùm per Dei gratiam, non tuto solum suo fungitur officio, sed etiam ipsosmet frequentes habet auditores, suosque adducunt filios in vera religione instituendos, qui certam quasi, eamque vberè in hoc suburbio pollicentur plantationem, nouamque Romanæ Ecclesiæ coloniam. Accedit singularis ad hoc discipulorum nostrorum industria, qui sparsim inter huius farinae homines versantes, mira sagacitate libros eorum peste, & obscœnitate infectos inquirunt, & certatim deferunt ad magistros, quo fit, vt tum externis præsidijs destitutos, tum domesticis quoque armis exutos, eneruari tandem eos necesse sit. Potro ad Catholica castra nostrorum opera traducti viginti sex, quos inter Prædicans olim nobilis Bullionensis Ducis, vir alioqui egregiè doctus, eiurauit perfidam Caluini sectam in nostro sacello publicè sub diuinis mysterijs, edita iuxta Tridentinam Synodum professione fidei.

TRES Religiosæ, nisi à nostris fuisset successum, discessum ex cœnobio cum sua, suorum, Monasterij, ordinis denique infamia, iam iam adornassent. Magistratus vrbis indies magis suam sin-

Si gula

gularē benevolentiam nobis probat, dum equos, currus, ac operam vltro ad promouendam fabricam offert: Quod ad scholas nostras attinet, adeo excreuerunt hoc anno, vt locus potius defit discipulis, quam illi loco. Numeramus ad quingentos, inter quos nobiles non paucos, & ex quatuor Religiosorum familijs aliquot. Congregatio B. Virginis florem totius Gymnasij, vltra septuaginta lectissimos numerat. Certē pietas & pænitentię opera apud Sodales adeo inualuere, vt confessarij de suppeditandis cilicijs, flagellis, alijsque huiusmodi instrumentis piē importuni sint. Eorum vero pietas & ardor potissimum in supplicatione dei veneris sancto instituta enituit, vbi magno numero flagris in sua terga sæuientes, nudis pedibus, passis brachijs, ponderosis onusti crucibus incedentes, toti populo & exemplo, & ad pietatem incitamento fuere. Excursum quoque ad vrbes vicinas omnino viginti, monasteria, arces, pagos, loca plurima pro more, fructu sanè non pœnitendo. Reuerendissimus Curiensis Episcopus, vt est Societatis nostræ amantissimus, prius, quam de Clero suo reformando decreta typis mandanda sanciret, cum vno è nostris (cui etiam de peccato confessus est) conferre voluit, & rem totam censuræ nostræ subijcere.

COMES quidam illustris, Societatis nostræ in his locis inter primos patronos, ægrotabat gravissimè, vocatus ab illo sacerdos noster tres ipsius hebdomadas cum ipso moratus, omni qua poterat eum opè leuauit, à noxis exoluit, & Sacramento Eucharistiæ refecit. Tandem diuinitus sibi quæ restitutus, remisit ad nos patrem trecentis quinquaginta florenis pro fabrica nostra onustum. E

quoniam memor sum benefactorum nostrorum, non est reticendus nobilitate, doctrina, ac pietate præstans vir Conradus de Bodman in Mekingen, cui fabrica nostra ita curæ, ut in ea promovenda concedat nemini. Illo impulsore nobilitas Hegouiensis, hoc anno primùm per ipsum nobis mille florenos pro ædificio numeravit. Ipse ducentos florenos, initio fabricæ nobis mutuò datos, liberaliter donavit. Adiecit insuper non modicam pecuniæ summam pro erigendis muris: gradus denique omnes scalis struendis Collegij suppeditavit. Restat fabrica, quæ superiore anno adeo parvis incœpta est initijs, ut nisi Deus sua manifesta benignitate promovisset, tantam perfectionem attigisset numquam. Tam paucis enim operarijs, tam modico sumptu, tam brevi tempore, tam secundo itidem euentu molem tam grandem, eo usque perductam esse, ut & tectum iam superimpositum sit, certè non nisi Deo in acceptis referendum est. Longa est hæc Collegij fabrica ducentis viginti septem pedibus, lata verò quadraginta octo: continet præter culinam cubicula quadraginta & vnum, hypocausta viginti. Locus ille palustris à Magistratu civico superiori anno donatus, ita iam terra solida complanatus est, ut ad arbores pro futuro horto inserendas sit accommodus. Pro bibliotheca ducentis fermè aureis libri dono coëmpti. Aucti census annui ducentis item aureis. Templum à pia quadam Constantiensi familia septingentis florenis ditatum.

DOMVS OETINGENSIS.

STATÆ conciones tum veteris tum nouæ Oetingæ, nec non vtriusque oppidi Christianæ Catechesis, felicem tenuere cursum. E verbi diu femente multiplex messis. Stata festa ieiuniorum obseruandi, Deoque supplicandi ratio accuratè introducta. Et dedere etiam huius rei specimen non vulgare hoc anno, quo sapius ad loca facta supplicatum est. De vniuersa vita exorsas quædringentas confessiones, duo duntaxat exceperunt, centum viginti alius. Ab annis plurimis restauratas numeravit vnus octingentas. Ex quo coniecturam liceat facere de singulis confessarijs. Verum exactum omnino pœnitentium numerum huius locorum frustra ineas, aut requiras. Toto enim anno, exceptis pauculis hyeme valde hyemantibus diebus, peregrini propius, remotiusque huc ventant, vt peccatorum molem molestem hîc ponant. Hæretici sedecim de iniqua sententia deducti, veram hîc Religionem adspexerunt. Quos inter vago Nobilis Palatina fuit, quæ cum hæresi à prima annis innutrita, & ideo natura dicacior esset, nullis vnquam rationum momentis ab iniqua sententia deduci posset, deducta est tandem graui morbo, quo Deo permittente diu afflictata est. Vix enim adhuc decumbens, amicorum monitione veræ religionis amplectendæ, & peregrinatione Oetingam veterem instituendæ, concepit propolitum; & mox, mirum dictu! corporis sanitatem recepit; & hîc quoque, cum votum exolueret, hæretici

siue abiuraret, animi tranquillitatem.

Ad virginem arreperat insidiator pudicitiae per dolum, illa cum multum periclitaretur, consilij inops, dolorem iuxta ac grauem morbum simul, altum dolentis instar gemere, singultire, Deum ac Christi parentem tacitis votis impensius implorare. Audita preces, impudicum auertit, seruato pudore; & qui virginis corpori illusum venerat, ab eadem egregie illusus abcessit. Alius impurus homo virginem castam, quam turpi deperibat amore, cum nec pollicitationibus, nec infami verborum lenocinio posset ad flagitium inducere, pernicax iræ ruere ad terrorem, minas intentare grauiores: illa vero flagitium obfirmato animo abnuere. Inuita in cubiculum compingitur, prohibito egressu, hebdomadam integram illic retinetur inclusa, omnique necessario victu destituitur, vt vel sic inedia cōpelleret ad consensum, quam promissa rerum affluentia non posset. Hic femina quid ageret? Deum orare, ac Matrem Virginem miserorum patronam inuocare cœpit. Nec irritæ preces, quoties enim procax leno ad illam adhinijit, quasi irritis insultibus ab ea recessit. Cum fortem hanc pugnam iam octo dies fortiter pugnasset, quibus non nisi pauculis piris sole duratis, & modico melle, quæ sub lectica forte reppererat, vitabat; tandem virilem feminae constantiam remuneraturus Deus, eidem per angustum, & occultum cubiculi foramen tutum præbuit egressum; quæ mox ex arcto nexu diuinitus erepta, sibi Deiparæque gratulans, præcipiti fuga ad nos Oetingam Deo gratias actura, & eum eodem se reconciliatura contendit.

EXCURSIO.

ETIAM hoc anno Brunonium excursum est à nostris oppidanorum rogatu, cum alias, tum maximè verni ieiunij tempore. Destinatus eo hinc Sacerdos vnus, cui Ebersperga in laboris partem missus est alter. Hic consueta Societatis nostræ munia exercuerunt approbantibus indigenis, nec dispari fructu; iactamque ab alijs probè sementè, iamque succrescentem, ad optatam maturitatem prouehere sunt conati. Conciones magno affluentium ciuium & accolarum finitimorum cœtu celebratæ, ad quas non festis tantum diebus, verum etiam profestis, itarunt summi iuxta & infimi perquam frequentes. Concionum porrò effectum aestimare licuit ex confessionum non tam multitudine, quam confitentium lacrymis, quibus scelera sua integrè Sacerdoti detexerunt non pauci, identidem dictitantes, se concionibus permotos. Multi ex remotioribus locis ad nos ideo venire Brunonium, vt pectoris sui arcana Iesuitæ tutò crederent & aperirent. Ad Catholicam religionem reuocati quatuor, libri damnatæ superstitionis & hæresis exusti. Diurnæ lites, quæ olim sedate recruderant, inter duo coniugum paria, nostrorum interpositu diremptæ. Mildorsij ægrotis pariter ac valentibus prospectum; illis confessionis remedio frequentius, vt animo conualescerent, istis consilij antidoto ne laberentur in præceps incauti: abstracti sunt enim his, plus quam triginta benè magni codices, scæda Lutheri dogmata olentes.

DOMVS

DOMVS PROBATIO- NIS LANDSPERGENSIS.

INCOLARVM huius domus Probationis numerus (quæ loci huius conditio est) instabilis fuit; constanter tamen quadragenarium intra quinquagenariumque substitit. Celebris fuit ea supplicatio, quæ ad S. Bennonem Monachium ducta fuit, in qua bis mille quingenta capita censa sunt: in vnum videlicet agmen coëuntibus tribus parochorum, vna cum suis subditis, decurijs. Auxit etiã nonnihil populi pietatem hoc anno institutũ, auctoritate Reuerendissimi Augustanorum Præfulis, festum S. Angeli custodis, quot annis prima Dominica Septembris celebrandum. Sodalitas D. Virginis Assumptæ superiori anno plantata, hoc à nostro exhortatore sæpius irrigata, dat Deo adspirante, incrementa virtutum, cæterisque ciuibus præluceat, studio mortificationis, orationis, alijsque pietatis exemplis. Quo vel cresceret, vel foueretur pietas populi, peregrinantis ad D. Virginis Auxilium, quindecim statuas in campo Lycio, æquis à se passibus distantes erexit, quæ quindecim Mysteria Rosarij representent.

PRÆTER statam concionem toto quoque anno, in duobus ciuitatis locis lectio catechistica est habita: fructum profectu iuuentutis mensi sumus. Interea dum vrbana iuuentus instituitur, rusticæ quoque pubi pari studio, non dispari euentu subuentum est. Hæresi abiurata in catholicæ Ecclesiæ gremium restituti sunt sexdecim. Non semel contra Cacadæmonis molestas incursiones & ve-

ationes piacularis confessio fuit pharmacum, sacer agni cerei orbiculus amuletum. In Montem sanctum Andechs tribus anni temporibus, quibus frequentior peregrinorum ad illum locum concursus, missi nostri, nongentis circiter præbuerunt aures consentibus. Mirum quantum hoc loco crescat deuotio, Sacramentorumque frequentatio, à quo tempore nostri Sacerdotes eum frequentare cœperunt; quandoquidem plerique, quibus voti reis antehac satis fuit montem, & reliquijs sanctorum, & miraculis clarum, religionis causa accessisse, ibique anathemata sua suspendisse; nunc etiam peccatorum sarcinas, quibus multis annis sæpè miserè premebantur, deponunt, & voto simul ac peccatis soluti, latiores domum redeunt. Tanto verò latior bonus odor ac fama Societatis nostræ hinc diffunditur, quanto ex remotioribus, magisque diuersis Germaniæ locis plures homines confluunt.



P R O V I N C I A
R H E N A N A.

S E D I B V S vndeuginti, quarum quatuordecim Collegia, Domus Probationis vna, Residentiæ quatuor, habuit hoc anno Prouincia Rhœni socios quadraginta duos supra quadringentos, è quibus numerantur Sacerdotes centum septuaginta sex; Magistri quinquaginta tres; Studiosi nonaginta octo; Coadiutores centum & quatuordecim; Nouitij sexaginta septem. In Collegio Coloniensi